



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. v. An. & quomodo agens exigat habere sphæram actiuitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

tiam actiuam quàm sit virtus actiua frigoris, non habet tamen maiorem resistentiam formalem & negatiuam; quod sufficit vt frigus agat in calorem.

Dico tertio, vt detur actio non requiri determinatum aliquem & notabilem excessum virtutis actiue supra resistentiam passi; sed sufficere minimum quemlibet excessum, ad aliquam saltem minimam actionem.

Ratio est, quia quanta est proportio inter actionem notabilem, & excessum notabilem agentis supra resistentiam passi, tanta est inter minimam actionem, & excessum minimum: ergo sicut posito maximo excessu ponitur actio maxima, ita posito minimo excessu ponitur actio minima. Deinde agens necessarium agit necessariò quantum potest agere: sed quando paruum habet excessum supra resistentiam, potest parum agere: ergo parum agit.

Obiici potest, aquæ stillulis excauari marmor, & formicarum i. i. vere siles atritos videri (vt ait Plinius) & in opere sentiam factam, ne quis dubitet quid qualibet in re possit quantulumque assidue: ergo non est opus vt virtus actiua superet resistentiam.

Resp. virtutem actiuam guttarum & formicarum per actus repetitos esse maiorem quàm sit resistentia lapidis qui excauatur; aqua enim sensim emollit lapidem, cuius deinde particule à guttis posterioribus facile diucluntur. Formicæ repetito nisu modicissimas lapidis particulas semper auferunt; idèd semita postmodum apparet notabilis; est enim proportio inter formicam, & particulam illam modicam, quam auferit; quia quamuis agens semper agat secundum se totum, passum tamen non resistit nisi secundum illam solum partem, quæ oppugnatur; resistentia enim hæc formalis est, & per non admissionem actionis in partem quæ oppugnatur.

SECTIO IV.

An, & quomodo agens exigat habere spheram actiuitatis.

Agens naturale actionem suam diffundit intra totum aliquod spatium, & quidem certa quadam proportionem ac methodo, quam vt explicem. Dicendum mihi primò est, an & quid sit sphaera actiuitatis. Deinde vtum actio in ea fiat vniformiter difformiter. Tertio vtum fiat per lineam circularem.

Dico primò, agens naturale habere spheram aliquam actiuitatis determinatam, vltra quam agere non potest. Sphaera verò actiuitatis appellatur determinatum aliquod spatium, vltra quod agens naturale non potest agere. Vocatur autem hoc spatium sphaera actiuitatis, quia si agens ponatur in loco, ex quo possit vim suam diffundere in omnem partem, habebit se tanquam centrum, à quo ad certam distantiam vndeque per lineas æquales actio eius feratur ad circumferentiam determinatam; actio enim agentis cuiuscunque in circulum certis quibusdam terminis definitur, vltra quos extendi nequit, vt statim dicam.

Ratio primò petitur ab experientia; sufficeret enim alioqui ad orbem totum terrarum illuminandum lucerna vnica. Deinde petitur ex natura entis finiti; quod enim habet esse finitum ac determinatum, necessariò etiam habet determinatum modum operandi: ergo determinatam habet spheram, intra quam operetur.

Dico secundò, omne agens naturale agere intra spheram sue actiuitatis vniformiter difformiter, si

R. P. de Rhodes curs. Philo soph.

A nihil impediatur. Tunc autem actio fertur vniformiter difformiter, quando intensiorem effectum producit in partibus propinquis quàm in remotioribus, sed eadem semper proportionem seruat; ita vt si ignis produxerit in vna parte ligni distante vno duntaxat palmo quatuor gradus caloris, in secunda parte distante duobus palmis producat remissiorem, quæ si esse dixeris graduum trium, seruabitur necessariò eadem proportio; nam in parte distante tribus palmis producat duos gradus, & sic deinceps. Agere difformiter difformiter est quando agens non modò non producit æqualem effectum in singulis partibus medijs, sed neque seruat eandem proportionem in ipsa inæqualitate; quod fieri potest si mediam sit inæqualiter dispositum.

B Ratio est, quia omne agens necessariò agit fortius in passum melius applicatum: sed vicinæ partes spatij melius applicatæ sunt, quàm partes remotiores: ergo in eas fortius agit.

Quod autem impediri aliquando possit agens, ne suam actionem vniformiter difformiter diffundat, patet. Primò, quia medium non est semper æqualiter dispositum; sic enim sol in speculo concauo fortius agit, quàm in viciniore aère. Secundò si alia ponantur agentia per singulas partes medijs, quæ augeant intensiorem effectum producti, v.g. si luminosum A, intentum vt octo, producat sex gradus in secundo palmo; addatur luminosum aliud quod producat duos alios gradus, producentur in illo secundo palmo gradus octo; quod idem in tertio palmo, & in reliquis omnibus fieri poterit. Præterea luminosum A, intentum vt octo distet septem palmis à luminoso B, intentum item vt octo; luminosum A, in primo palmo sibi vicino producat septem gradus, & in septimo, qui vicinus est luminoso B, producat vnum; & vicissim luminosum B, in primo palmo sibi vicino producat septem, & in septimo palmo, qui vicinus est luminoso A, producat vnum; sicque in singulis partibus medijs producentur octo gradus: ergo tunc actio non erit vniformiter difformis, sed per accidens, propter impedimentum alterius agentis.

Dico tertio, nullum esse agens totale quod circulariter non agat in subiecta quæ ipsum circumstant; non quòd eius actiuitas & actio perfectè sit circularis, nisi agens sit perfectè circulare; sed quòd ab omnibus partibus agentis actio fluat in modum circuli: ergo quælibet pars agit in subiecta, quæ illi directè opponuntur: ergo agens totale agit circulariter. Et hæc (vt dixi) ratio est, cur spatium intra quod agens actionem suam diffundit, vocetur sphaera actiuitatis. Quomodo autem singulæ partes agentis agant per lineam obliquam & lateralem, siue directè agant, siue reflexè, dicitur q. 2. sect. 3.

E Obiicitur primò, spheram quidem actiuitatis esse determinatam, quando agens immediatè agit in iectio. totam spheram; quando autem sic agit in toto medio vt qualitas producta in medio producat etiam sibi similem qualitatem, tunc sphaera non est determinata, sed actio in infinitum extenditur; sol enim v.g. producit in palmo sibi propinquo octo gradus luminis; & hic palmus in altero palmo producit septem; & sic in infinitum: ergo lumen producit in infinitum. Probatur minor. Si lumen non producat vltra vltimum istum palmum, in quo dicitur terminari spheram actiuitatis, dici debet lumen istud actiuum non esse, contrario enim caret, à quo impediatur, & est semper diuisibile; potest ergo vltius produci lumen.

Respondeo negando lumen solis aut lucernæ in infinitum diffundi; deuenitur enim tandem ad aliquam partem luminis adeò debilem, vt non possit

E c 2 sic

fit aliquid ulterius producere; lumen enim adeo fit debile, ut per accidens non sit actuum ex defectu magnitudinis requisitæ; in quolibet enim agente naturali certa quadam requiritur perfectio. Sic vivens ut possit generare simile, determinatam perfectionem exigit, quæ non competit viventi in quocunque sit statu. Eodem modo si rei non viventi desit talis perfectio, non poterit agere. Lumen ergo quod est in ultima parte sphaeræ activitatis, ideo nihil ulterius potest producere, quia est ita exiguum, ut non habeat debitam perfectionem ad agendum; ideoque terminatur ibi sphaera activitatis.

Obicitur secundò. Lucerna octo habens gradus lucis potest producere alios octo gradus lucis; & illi alios octo: ergo non habet terminum suæ activitatis. Probo antecedens; nam agens debet sibi perfecte assimilare passum, ut patet in formis substantialibus, quæ generant formas sibi similes: ergo lucerna octo habens gradus lucis, totidem gradus producit.

Respondeo experientia constare, quod nulla qualitas productiva est alterius qualitatis in eodem gradu intensiois; si enim habeat octo gradus, non producit nisi septem, vel sex. Contrarium experitur in formis substantialibus, quæ non suscipiunt magis & minus, ut qualitates: non ergo possunt producere simile in specie, quin producant omnino simile.

SECTIO V.

*An, & quomodo ad actionem requiratur
indistantia passi & agentis.*

Certum est primò, contactum alium esse quantitativum, alium contactum virtutis. Contactus quantitativus ille est secundum quem duorum quantorum extrema sunt simul, ut cum alicuius manum manu apprehendimus; vocaturque hic contactus *suppositi*, quando scilicet duo supposita materialia se tangunt. Contactus, seu immediatio virtutis est quando aliquid tangit aliud, non per se, sed mediante virtute aliqua diffusa per totum spatium; ut quando ignis manum calefacit remotam mediante aëre, quem calefacit.

Certum est secundò, questionem hoc loco non esse, utrum ad actionem requiratur immediatio suppositi; sol enim distans terras revera illuminat. Sed queritur, utrum ad actionem requiratur contactus virtutis; ita ut in passum distans nihil possit agere, nisi agendo in toto medio. Primò enim dubium est, utrum illud sit possibile naturaliter: secundò utrum illud sit possibile divinitus.

S. I.

Sitne possibilis naturaliter actio in distans.

Dupliciter cogitari potest, dari actionem in passum distans. Primò ita ut agens in passu distanti producat aliquid, nihil omnino producendo in toto medio, v. g. cum magnes ferrum trahit à se remotum, non trahendo tamen medium. Secundò ita ut agens in passu distanti producat aliquid, producendo illud etiam in toto medio.

Dico primò, posse omnino agens per seipsum agere in passum distans continuando actionem per totum medium, quamvis aliquando etiam cum eo medium ipsum concurrat.

Ratio est manifesta, quia certum est, species im-

pressas immediatè produci ab obiecto solo; vnam autem speciem non produci ab alia specie, alioqui viderentur obiecta extra lineam rectam: ergo albedo quæ remota est ab oculo, agit in oculum distantem. Deinde quando in speculo concauo per actionem reflexam lumen producitur intensius quàm in aëre, certum est quod lux solis immediatè producit maius illud lumen. Deinde si solum lumen productum in aëre causeret lumen in terra productum, deberet produci æqualiter lumen illud in omnem partem; quod tamen esse falsum experientia convincit; cum enim sol illuminat per fenestram aërem sibi oppositum, partes aëris quæ sunt ad latus, multò minus illuminantur: cuius rei sola ratio est, quia sol in partibus spatij directè oppositis producit lumen; non autem in partibus extra lineam rectam constitutis, eo quod corpus lucidum non agat nisi per lineam rectam. Tunc igitur immediatè ipse sol agit in spatio distanti, quamvis lumen illud producat etiam à lumine quod in aëre vicino productum est; sol enim immediatè non agit extra lineam rectam. Idem etiam in igne patet; si enim os fornacis occludatur, multò minor sentietur calor quàm antè.

Dico secundò, nullum agens creatum ita posse agere in passum distans, ut eius actio non continuetur per medium. Consentiant in hoc Theologi ferè omnes, & Philosophi, quos dabit Suarez *disput. 18. sect. 8.*

Primò autem probant à posteriori, quia constat experientia, quod quoties agens non potest agere in spatio intermedio, toties agere non potest in passum distans; sol enim interposito corpore opaco non illuminat; ignis pariete interposito non calefacit; species visibiles non perveniunt ad oculum, si medium non possit eas recipere; si autem posset actio fieri ad passum distans, neque deberet necessariò diffundi per totum medium; incapacitas enim medij ad recipiendam actionem agentis non debet illam prohibere, si medium non debet necessariò illam recipere: ergo actio agentis recipi necessariò debet in toto medio. Quod autem dixi de sole, igne, obiectis visibilibus, verum etiam est de magnetè; nam tamen si medium ab eo non trahatur ex defectu sympathiæ, propagatur tamen actio eius per medium; si enim interponatur paries, non trahitur ferrum, quod etiam dicitur non trahi si alia fuerint intermedia: ergo magnes etiam in distans non agit.

Deinde argumentor, quia ut agens producat in passu effectum suum, necesse est ut præsentem faciat illi virtutem suam; non enim ager in passu si virtus eius non fuerit illi præsens: sed non potest virtutem suam facere præsentem passu, nisi eam transmittendo per medium, alioqui posset etiam vnum corpus transire ab vno loco in alium locum, non transendo per medium: ergo nullum agens potest naturaliter agere in distans.

Obicitur primò. Nullum est ens corporeum, quod aliquas partes non habeat viciniore passu, alias remotiores; v. g. in globo ferreo superficies vicinior est ligno quod inflammatur, quàm partes eius interiores. Vel igitur sola superficies vrit lignum, vel etiam intimæ partes agunt in lignum. Primum dici non potest, quia velocius vrit lignum, si grandior fuerit globus. Si dicatur secundum, ergo datur actio in distans, quod probo. Partes interiores globi non possunt agere in toto medio, quin agant in partes globi exteriores: sed non agunt in superficiem, & in partes exteriores globi, alioqui simile ageret in simile; partes enim extrema